177674

RESPONSORIA EQVITIS POLONI IN SVECIA degentis ad AMICUM IN POLONIA.

GENEROSE DOMINE
Amice plurimùm obſervande.



SExtus jam agitur annus, ex qvo mihi nihil de Te innotuit, ubi Locorum hæreres, ut mutuum illud Literarum inter nos aulæ militiæq; olim Socios comercium, continuari potuiſſet. Eo gratiores mihi fuere literæ tuæ d. 18. Martii Varſavia ad me datæ, qvibus non tantum de felici tuo in Patriam ex Saxonia reditu, ſed & de ſalute, inprimis autem de conſtanti in Patriæ tuæ vera commoda voluntate & Zelo, certior factus ſum. Hoc mihi deſideratius qvicqvam contingere non potuit, præſertim, cum curam & ſollicitudinem tuam pro Sereniſſimæ Reipubl: Vræ: incolumitate eo ipſo ſatis declares, dum ſignificari tibi a me cupis, an Sereniſſimæ Reipubl: Vræ; novis hiſce cum Svecia emergentibus turbis, & flagranti bello à Svecicis armis aliqvid periculi immineat. Delicata res eſt, nec facilè penetrantur Regum animi, præſertim ſi enormi injuria affecti ad juſtam irritantur vindictam. Sed cum me haud nimis à conſiliis aulæ ſcias remotum, voluntati tuæ, ex debito adhuc Patriæ amore, qvem etiam ſub rigido Boreæ cœlo, cui fata me adſtrinxerunt,

con-

contracto heic felici matrimonio, illibatum retinere constitui, deesse non possum. Certum eqvidem est, Sac. Reg. Majest. Sveciæ iniqvissimo hoc bello graviter offensam esse, & constituisse, omnes regni sui nervos intendere, ad defendendos subditos suos & vindicandam illam, qva innoxii afflicti sunt, vim & injuriam. Sed cum Sacræ Regiæ Majestati satis per Ministros suos in Aula Polonica non ita pridem versatos constet, omnia hæc inconsulta Republ. cæpta & patrata esse, ideo Sacra Reg. Maj. Sveciæ omni in id fertur studio, ut Sereniss. Respubl. ab hoc belli malo penitus intacta maneat. Testantur id Sac. Reg. Maj. literæ ad Eminentissimum Dn. Primatem & Illustriss. Senatores & Ordines Regni Poloniæ datæ, qvibus S. R. M. benevolum suum in Serenisſ. Rempubl. Vram. affectum satis superq; declarat. Testantur idem literæ Serenissimi Dni. Electoris Brandeburgici, qvæ pronum in Sereniss. Rempubl. Vram. amorem, & constantem in conservanda cum eadem pace & amicitia propensionem fusius exponit. Hoc tibi vero in aurem & sub Sacro silentii umbone credere ausim, S. R. M. Sveciæ supremo Militiæ duci in mandatis dedisse, ut omnibus modis evitet, ne Ser. Reipubl. Polonicæ vel Mag. Ducat. Lith. & Ducatus Curlandiæ ditiones lacessat, vel aliqvid molestiæ inferri patiatur. Confidit enim Sac. Reg. Maj. Serenisſ. Rempubl. Vram. nec directè nec indirectè se hisce turbis immixturam. Persvasiones

eqvi-

eqvidem largitiones, ostentata Regni incrementa non deerunt, qvibus in consensum, societatem & auxilium injustissimi hujus belli allicere satagent malè fidi illius autores; sed major est Serenisf. Reipubl. constantia, qvam ut his succumbat illecebris, & tam periculosis aures præbeat Consiliis, ut se suamq; salutem & qvod maximum est, pretiosissimum illud Libertatis avitæ diadema præsentissimo exponat periculo, qvam hactenus cum universi orbis stupore non minori prudentia qvam fortitudine sartam tectamq; conservavit, & ad posteritatem transmittere allaborabit. Habet sanè qvod sibi caveat Seren. Respublica, nunqvam enim majoribus Libertatem patriæ expositam fuisse insidiis pro ea, qva pollet, sagacitate sentiet. Invectus in regni viscera peregrinus miles, & variis prætexendi artibus hactenus vel retentus vel reductus. Rupta sunt legum vincula, & extortum belli & pacis arbitrium, inaudito hactenus ausu. Cœtera tibi judicanda relinqvo. Facite ne nimis serò sapiatis, & ne Regnum cum libertate vendidisse videamini. Qvod super est omnibus a te precibus contendo, ut me de Concluso Senatus Consilii, qvod jam haberi vel brevi futurum esse fama huc perlatum est, deniq; qvid de Comitiis, si qvæ futura sunt, exspectandum certiorem reddas. DEus servet dulcissimam Patriam nostram Salvam & incolumem, id qvod, animitus pro sincero in Patriam affectu apprecor. Dabantur Holmiæ Svecorum d. 3. Maij 1700.